

Vitae Excellentium Monachorum

Ordinis SS. P. N. Benedicti

Nuper ad Episcopales Infulas Promotorum.

(Confer fasc. I. h. ai. pag. 176—182.)

II.

De Coelestino Josepho Ganglbauer,

S. R. E. Presbytero Cardinali, Principe-Archiepiscopo Viennensi, Mon. Cremifanensis
in Austria Professo.

Coelestinus Josephus Ganglbauer natus est anno salutis 1871 die 20. mensis Augusti in Austriae superioris pago Schidlberg, qui est in parochia Thanstetten, eodemque die in ecclesia parochiali Weichstetten sacro baptismatis fonte ablutus est et S. Joseph, S. Salvatoris nutritii, patrocinio adscriptus. Parentes nactus est Vitum et Catharinam Ganglbauer, qui pii agricolae non opibus sed morum integritate fuerunt illustres. Infans duorum annorum Josephus noster singularem S. Angeli Custodis tutelam est expertus, cum in stagnum, quod prope domum patris est, lapsus non interiit, sed a viatore quodam, qui casu vel potius Deo ita disponente propinquo loco operi suo incubuit, pectine aquis est ereptus.

Cum scholam parochialem in Thanstetten ad elementa litterarum discenda frequentaret, mentis sagacitate et morum probitate animum parochi Michaelis Nissl, viri benedictae memoriae, in se convertit, qui eum ad altare ministrum adhibuit suisque consilii posteris temporibus maxime adiuvit.

Anno 1830 Josephus Ganglbauer precibus suis a parentibus impetravit, ut ad c. r. gymnasium Benedictinorum Cremifanum mitteretur; ubi per octo annos studiis litterarum tanto fervore vacavit, ut moribus et scientiis inter ceteros emineret. Quae cum ita essent, mirandum non fuit, quod unanimo consensu precibus eius, ut in ordinem S. P. Benedicti et in monasterium Cremifanense eum adscriberent, patres Cremifanenses adnuerunt. Voti compos factus 1838 die 24. Sept. habitu monastico est indutus et Coelestinus vocatus, quo nomine patrocinio sancti illius Coelestini Papae quinti humilitate clarissimi commendatus est.

Anno probationis elapso Lintium ad studia theologica missus 25. Aug. 1842 praesente Thoma Abbate totoque conventu nostro vota solemnia nuncupavit et 22. Jul. 1843 presbyteratus ordine actus est. Cum 6. Aug. die festo Transfigurationis Ss. Salvatoris, quo titulo ecclesia Cremifanensis utitur, primam missam sollemniter celebravisset, in parochiam Neuhofen monasterio incorporatam missus est, ut cum parochiae vicario in Domini vinea cooperaretur. Triennio ibi laudabiliter exacto in monasterium revocatus magistri grammatices munere functus est, ratione autem studiorum mutata ab a. 1854 doctrina religionis in gymnasio superiore

adulescentium animos imbuere aliisque artibus erudit et diebus dominicis vel festis verbum Dei in ecclesia iis praedicavit. Quod Coelestinus munus magistri cum ceterarum disciplinarum tum doctrinae religionis maximi ducebat, quod bene sciebat, homines facilius benignitate quam severitate ad praecepta religionis amplectenda perducere, facere non potuit, quin omnium discipulorum animos sibi et doctrinae suae devinciret.

Ab a. 1855 Coelestinus simul alumnorum convictus parti praefectus fuit, eique muneri laborum et onerum pleno summo cum amore summaque patientia satisfacere, donec a. 1867 illi instituto dirigendo praepositus est et usque ad diem 11. Mart. 1875 praefuit. Anno 1865 Coelestinus ab Augustino Abbate confessarius novitiorum constitutus et his et sacerdotibus et plurimis laicorum s. poenitentiae sacramentum administravit. Quamquam vero res ita se habebant et merita Coelestini ab omnibus agnoscebantur, tamen neque ipse se altiores dignitatum gradus escensurum esse cogitabat neque fratres id fore censebant; tanta enim erat humilitate, ut nusquam aliis se praeponeret, ut nunquam partes primas agere sibi posceret. Atque cum defuncto R. P. Maximiliano Kerschbaum Prior esset eligendus, Coelestinus non tam patrum Cremifanensium voluntate, non tam Augustini Abbatis electione, quam divina ita disponente providentia eo honore auctus est 11. Mart. 1875 et simul rationibus monasterii praefectus 3. April. 1875. Inde lux Coelestini in candelabro posita latere non amplius potuit: Prior eadem qua antea animi modestia et hilaritate usus, omnia circumspiciens, omnibus aequa benignitate facilis, communi saluti intentus, orationi deditissimus, exemplo ad optimum quidque trahens, ut ab omnibus maximi haberetur et dilectione afficeretur, effecit.

Eodem iam anno, cum 29. Sept. Augustinus Reshuber Abbas diem supremum obiisset, Prior Coelestinus administrator primarius monasterii factus eo munere tanta dexteritate functus est, ut nemo dubitaret, quin Abbas futurus esset. Cum Fr. J. Rudigier, Episcopus Linciensis, patres Cremifanenses ad electionem congregatos admoneret, ut Abbatem eligerent, qui optime regeret monasterium et antiquitate et merito et numero nobilissimum, talem Abbatem dicens esse caeleste donum, quo ut populum suum prosequeretur, Deum in s. missa eius diei (fer. II Paschal.) rogavisse, omnes consenserunt, eum esse Coelestinum, eumque die 19. April. 1876 mira unanimitate Abbatem LXIX elegerunt, virum gratissimum c. r. regimini, gratissimum Episcopo, qui inter cenam Abbati et monasterio gratulatus est his verbis: »Haec dies, quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea. Caelesti dono prosequutus est Dominus hoc monasterium, cui caelesti dono nomen est Coelestinus.«

Proximo die Coelestinus Abbas sollemniter est benedictus et mitra decoratus. Eundem paulo post societas oeconomica Austriae superioris sibi ipsa praefecit.

Officiis susceptis Coelestinus satisfacere sollertissimo animo studebat. Ut operi divino quam plurimi in choro adessent, maxime elaborabat, et cum bene sciret, verba movere exempla trahere, ipse ut adesset, primam habebat curam. Exercitia spiritualia ut maiorem fructum ferrent, quotannis ex alio quodam ordine vel monasterio exercitorem idoneum accersivit.

Coelestinus recens Abbas magnis sollicitudinibus affectus est tributis, ut maiores pecuniae in sumptus ecclesiasticos erogandae redirent, nuper imperatis; quae nisi minuerentur, ne monasterium paulatim opprimeretur, timuit. Simul ecclesia in oppido Bad-Hall iam ante decennium aedificari coepta aedificanda erat, monasterii parietes purgandi, ecclesia claustralis renovanda. Attamen quamquam res ita erant, Coelestinus non desperavit, sed tempora meliora futura esse sperans petiit, ut fratres studium artissimae parsimoniae consilio et re adiuverent. Nova iam onera suscipienda erant, cum anno 1877 undecim saecula elapsura erant a fundato per Thassilonem II. Bavariae ducem, monasterio. Parvis sumptibus fieri hanc sollemnitatem vetitum est et rei ipsius magnitudine et exemplis maiorum et studio amicorum, qui se consociaverunt, ut gratulationes et munera offerentes monasterio nostro iubilanti gratias agerent pro beneficiis, quae discipuli gymnasii acceperant. Itaque triduum sollemne decretum et celebratum est 18—20. Aug. praesentibus illustrissimis et reverendissimis viris, inter quos eminent Lud. Jacobini, Nuntius Apostolicus ad aulam Vindobonensem missus, Franc. Alb. Eder O. S. B., Archiepiscopus Salisburgensis, Carol. de Stremayr, minister Suae C. R. Maiestatis, Anton. Hye l. b. de Glunek, alii plurimi.

Erant dies illi pleni honorum, qui monasterio et Abbati conferebantur. Sua Sanctitas, Pius Papa IX, apostolicam largitus est benedictionem et indulgentiam plenariam consuetis condicionibus concessit fidelibus hominibus, quicumque quovis iubilaei die ecclesiam claustralem devote visitarent. Sua Maiestas, Imperator Franciscus Josephus, qui favore et gratia festum nostrum se prosecuturum esse iam antea dixerat, Abbatem fecit comitem ordinis sui, qui dicitur Francisci Josephi, quem honorem non suis meritis sed monasterii per tot saecula Imperio et Imperatori fidelissimi, de adulescentibus instituendis et fide catholica propaganda ac confirmanda, optime meriti atque fratrum, qui viribus unitis in eos fines ad unum omnes laboravissent, tributum esse, Abbas humillimus se bene scire diserte declaravit. Paulo post mense Decembri eiusdem anni Coelestinus in Optimatum Imperii curiam ad dies vitae est vocatus. Ab Episcopo Linciensi iam

Prior consiliarius in negotiis spiritualibus factus Abbas consiliarius consistorii sui electus est; a communitatibus Thanstetten et Bad-Hall Coelestinus civitate honoris causa donatus est.

Cum a. 1880 per totum orbem terrarum dies celebraretur, quo ante XIV saecula S. Benedictus Nursiae natus est, Coelestinus cum compluribus Abbatibus Imperii Austriaci in Montem Cassinum profectus s. locum veneratus est et Romae ad pedes Suae Sanctitatis Leonis XIII provolutus reverentiam et obedientiam erga S. Sedem est professus. Libentissime studiis litterarum cum faveret et bene compertum haberet atque iterum iterumque diceret, studiis illis dilectis fervorem spiritualem crescere, neglectis hebescere, consilio historiam litterariam ordinis nostri a Ziegelbauero ad annum 1750 perductam ad hos usque dies perficiendi inter primos accessit et libellos hos trimestres apparari gaudente animo gratulatus est.

Tantum Abbatem, tam pium, tam humilem, tam laboriosum Deus ad maiora elegerat.

Joanne Cardinali Kutschker ad coronam caelestem vocato Princeps-Archiepiscopus Viennensis a C. et Reg. Apost. Maiestate electus est Coelestinus noster, qui tanto honore indignum, tanto muneri imparem se esse et putavit et dixit; verumtamen Dei fretus ope, »qui potens est in infirmo et saepe numero infirma mundi et quae non sunt elegit, ut ea quae sunt destrueret,« et fore sperans, ut apostolica benedictione muniretur, et C. R. Maiestatis, cui observantissimus est, voluntati cedens dixit illud: »Fiat voluntas tua« 22. Mart. 1881. At cum die, qui secutus est, nervo quodam pedis scisso caesus esset, dignitatem recentem abdicare studuit, sed voti compos non factus et paucos post menses virorum medicinae artis peritissimorum opera sanatus est.

Cum a S. Sede Romae 4. Aug. praeconisatus esset, die 28. Aug. in ecclesia Cremifanensi ab Apostolico Nuntio, R. R. D. D. Vannutelli, Episcopus ordinatus est adsistentibus Episcopis Linciensi Fr. J. Rudigier et Matthaeo Binder ad S. Hippolyt., gratulantibus et fratribus et patria et oppido Cremifanensi, gratulante etiam clero populoque Vindobonensi.

Die 1. Sept. postquam rationem administrationis optimae reddidit, Abbatiam Cremifanensem voce lacrimis oppressa resignavit. Die festo Nativitatis B. M. V. (8. Sept.) Cremifanenses valere iusserunt suum Coelestinum. Ceterum etsi alio loco commoratur, tamen Benedictinus Cremifanensis manet, statum religiosum et habitum retinet, numero Cremifanensium adscribitur, precibus nobiscum coniungitur; etiam insigni suo archiepiscopali et ordinem et monasterium indicat calice illo fracto S. Benedicti et apro illo laeso Cremifani.

Die festo S. Nominis B. M. V. (11. Sept.) in ecclesiam metropolitanam introductus et pallio indutus est a clero et populo cum gaudio susceptus; sciebat enim clerus, futurum sibi esse Archiepiscopum, qui omnes suos sincero amore diligeret et ad optimum quidque suo exemplo praeiret; sciebat populus, Archiepiscopum Suae C. et Reg. Apost. Maiestati observantissimum dioecesim quoque suam et metropolim amore complexurum esse. Recentem Archiepiscopum universitas quoque litterarum Vindobonensis venerata est et Coelestinum S. Theologiae Doctorem honoris gratia elegit.

Quae Coelestini ratio sit regendi gregis sui, cognosci licet ex litteris pastoralibus die 11. Sept. 1881 ad clerum et populum datis, in quibus maxime commendat orationem, cuius vim ipse saepissime cognoverat, et fideles iterum iterumque admonet, ut in omnibus rebus et secundis et adversis a Deo tamquam patre et ab Ecclesia tamquam matre solatium, auxilium, opes petant. Diserte dicit, causam malorum socialium his temporibus tam gravium esse mores aversos a Deo eiusque Ecclesia. Concordiam inter Ecclesiam et Imperium docet esse necessariam, optimum civem dicit optimum quemque Christifidelem esse, qui Caesari det, quod Caesaris, et Deo, quod Dei sit. Haec de doctrina cum sufficient, veniamus iam ad facta. Ubicumque potest, Coelestinus pauperes sublevat, fideles ruricolos visitat iisque ipse verbum Dei praedicat, puerulos docet, s. confirmationis sacramentum administrat, sacras sodalitates ad pietatem augendam sua auctoritate aut erigit aut auget, ipse sodalibus panem angelorum frangit, missiones, quae dicuntur, ad fervorem religiosum populi augendum celebrari in ipsa urbe Vindobonensi iubet, ut clerici clericaliter se gerant, gravibus verbis monet. Quanto opere studia litterarum etiam Archiepiscopus adiuvet et promoveat, testatur epistula, quam die 27. Febr. 1882 ad eos misit, qui hos libellos trimestres edunt, in qua benedictionem se impertiri dicit omnibus, qui in hisce libellis elucubrandis operentur.

Quidquid igitur Episcopi est, Coelestinus suum esse scit et peragit, ita ut mirandum non sit, quod quattuor annis elapsis omnes, quibus praeest, etiam maiore quam ab initio dilectione eum prosequantur; omnes summo gaudio affecti sunt, quod a Sua C. et R. Apost. Maiestate a. 1882 et Praelatus insignis c. r. ordinis Leopoldi dictus et Magna Cruce eiusdem ordinis decoratus et paulo post C. et Reg. Apost. Maiestati a conciliis interioribus factus est, quod a Sua Sanctitate Leone XIII 10. Nov. 1884 inter S. Rom. Ecclesiae Presbyteros Cardinales receptus est.

Tantum virum Deus ad multos annos conservet et benedictione ac gratia semper et ubique prosequatur!

P. J. H.